

## † R. P. Ioannes Waelkens (1904-1951) (1)

(Prov. Belg.)



Sancta mors huius confratris 47 annorum accidit Dominica *Gaudete* anni superioris, 16 Decembris 1951, Bruxellis in quodam nosocomio catholico viae As, h. 3.35 p.m. Diei praecedentis operatio chirurgica ostenderat miserrimam intestinorum condicionem, neque ullam salutis spem relictam esse nisi verum miraculum. Infirmus eodem vespere, nondum e narcosi expergefactus, receperat ab A.R.P. Rectore Dubois extremam unctionem, et hoc mane, iam plene sui compos, e manu Pl. R. P. Provincialis De Ceuninck sueta sua pietate Viaticum sumpserat. Diros dolores tolerabat admirabili fortitudine. Post recitationem prioris partis Commendationis Animae ipse intonavit bis canticum *Magnificat*, licet altera vice non perveniret nisi ad versum *Suscepit Israel, puerum*

*suum*. Iamiam venit finis. Dulcissima mater, quae cum patre et sorore natu maiore adest, filium morientem adiuvat in portando cereo benedicto, dum Praefectus infirmorum R. P. Kauffmann et R. P. Chaineux, paulo ante cubiculum ingressus, ultimam partem illius Commendationis Animae recitant: *Proficiscere, anima christiana...* Inter hanc precem liturgicam carissimus P. Waelkens absque ulla agonia in pace Christi exhalat spiritum, et is, qui in tota vita seminator sancti gaudii fuerat, cum omni probabilitate hac ipsa Dominica *Gaudete* a divino Iudice meruit audire: *Intra in gaudium Domini tui*.

Festo S. Clementis 1941 P. Waelkens suis parentibus scripserat: « Sancta mors nunquam fuit quaedam *ex tempore* locutio seu *improvisatio* ». Ipse quoque sancta vita se fine tam sancto dignum fecerat. Verumtamen primum oportet externum cursum huius vitae non adeo longae breviter delineare.

Ioannes Waelkens, alias *Janneken*, natus est 6 Oct. 1904 in Tielt, Flandriae Occidentalis urbe, in sinu familiae exemplaris. Pater textilium mercaturam exercebat. Inde ab infantia Ioannes certus erat de sua ad sacerdotium vocatione. In gravi infirmitate quadriennis a medico interrogatus: « Quid? Tune vis mox parvus Angelus in Paradiso esse? » promptly respondit: « Minime, sed sacerdos fieri volo! ». Intravit itaque in collegium episcopale suae civitatis natalis, ubi

(1) Cf. R. in *Zending*, Febr. 1952, p. 31 s.; G. DE GEUNINCK ib., Apr.-Aug. 1952; M. DE SNICK in *La Voix du Rédempteur*, Apr.-Iun. 1952.

semper suae classis primus erat, non modo in scientia, sed etiam in virtutibus. Qui tunc eius Superior erat et postea Cappellanus Aulicus, Rev.mus D. Colle, post eius mortem Superiori Provinciali haec scriptis: « Mihi persuasum est Ioannem Waelkens fuisse hominem singulariter a Deo praedestinatum. Erat in oculis meis adulescens sanctus. Quodam die magistri mei et ego constituimus eum quam accuratissime observare. In vanum! Nullum in eo defectum potuimus reperire » (1).

Nil mirum quod huic iuveni vita sacerdotis religiosi magis arridebat quam sacerdotis saecularis. Sed quodnam Institutum electurus est? Dubitans dicebat: « Scio, in qua via mihi habitandum sit, at numerum meae domus nescio ». Exspectabat supernum lumen ab ultimis exercitiis spiritualibus in fine rhetoricae, et genuflexus ante imaginem BMV orabat: « Mei curam habeto, bona Mater! ». Sequenti die destinatur ad inseruiendum in Missa moderatori exercitiorum, Patri I. B. Bouckaert, insigni missionario C.SS.R. Is promiserat Beatissimae Virgini tres Missas, si intra exercitia dilectae Congregationi novam vocationem lucraretur. Cum igitur illo die Ioannes noster venisset quaerens de futuro suo statu, nihil haesitans ei proponit nostram familiam; et cum iuvenis stupefactus obiiceret suum sacrae praedicationis timorem, P. Bouckaert, quasi superne inspiratus, respondit: « Beatissima Virgo hoc a te petit ». Statim omnis resistentia evanescit, nam Matri caelesti Ioannes quidquam denegare nequit. Postea scripsit: « Ipsa Deipara me exspectabat, non modo ut mea Mater, sed etiam ut Mater et Domina C.SS.R., cui novum filium acquisierat ».

Quo singulari fervore tirocinium suum peregerit, testatur eius Magister R. P. Meersmans in litteris postridie eius professionem 22 Sept. 1924 parentibus datis: « *Laissez-moi vous féliciter au sujet de votre Jean. Dans le rapport que j'ai envoyé à Rome au Révérendissime Père Général, j'ai dit que durant cette année bénie du noviciat, Jean avait été non seulement un exemple pour tous, mais aussi un objet d'admiration et pour moi une grande consolation. Durant tout son noviciat, il s'est montré le même et il ne s'est pas démenti un instant* » (2). Hinc legentes possunt iam coniecere, quo fervore Fr. Waelkens annis 1924-1930 Pulchriiugi suum studentatum transegerit ac 22 Sept. 1929 receperit indelebilem sacerdotis characterem.

Viginti tribus sui sacerdotii annis unam alteramve missionem praedicavit. Paulo ante obitum, in magna Missione suae urbis natalis Novembri 1951, populum singulariter commovit suis instructionibus matutinis et inflammata sua concione vespertina de BMV, de qua multi asserebant eam totius missionis pulcherrimam fuisse. Longe pluries dedit exercitia spiritualia in collegiis vel conventibus, et optime quidem. Praesertim vero admiratione dignus erat ob constans suum studium domi bene faciendi quodcumque opus sibi ab obedientia iniunc-

(1) *La Voix du Rédempteur*, Apr. 1952, p. 121.

(2) L. c.

tum. Quanta diligentia praeparabat simplicem sermonem dominicalem! Quanta patientia et caritate excipiebat in confessionali poenitentes! Cura illa, quam ut Chronista domus vel Provinciae ostendebat in determinando omni numero et asserto particulari, aliis quandoque nimia apparere poterat et molestiam creare, verum in eo erat consequentia tenerrimae conscientiae; volebat imitari Christum Iesum, de quo turbae dicebant: *Bene omnia fecit* (Mc. 7, 37).

Si quis eum rogabat servitium — et eiusmodi confratres facilius et frequentius rogantur — non decies, non centies, sed semper eum reperiebat paratum hilarique vultu petita pro viribus dantem. Id autem sine heroica virtute fieri non posse evidens est. Eius barometrum invariabiliter indicabat « caelum serenum », etiam in mediis infirmitatibus, quibus quasi continuo vexabatur. Quam molesta v. g. ei ultimis annis in laborando erat magna debilitas visus!

Cordis simplicitate animique candore effectus erat sicut parvulus. More infantis non indigebat rebus magnis ad sincere gaudendum; ei satis erant primi flores verni vel primus cantus avium vel adventus hirundinum. Spiritus Sanctus, habitans in eius anima candida, tribuebat ei pacem et gaudium cum ceteris suis fructibus ac donis.

In recreatione prorsus non erat taciturnus, sed quasi loquax, quo magis alios exhilararet. Aliquando quidam dicebat: « Per multa verba facere, neque unquam verbum malum, id solus P. Waelkens perficere valet ». Ut fit inter fratres sese amantes, praesertim inter Flandricos, P. Waelkens in recreatione permultum impetebatur facetis vel etiam petulantibus dictis aliorum. P. Waelkens, ut erat natura praeditus animo ardenti, immo violento, certe fortiter saepe sensit tentationem irae; at diuturna lucta perfectum sui dominium acquisierat, neque unquam proferebat verbum iratum aut alios, sive praesentes sive absentes, utcumque laedens. Cum autem quondam confrater facetus eo praesente dixisset: « Non est quod Iesuitis invidemus. Quodsi hi suum habent sanctum Ioannem (Berchmans) a Diest, nos Redemptoristae habemus nostrum sanctum Ioannem a Tielt », ipse quasi indignatus respondit: « Attende, Pater! Si Deus iam supervacaneum verbum punit, quanto magis verbum insensatum! Stulte locutus es, Pater. Ora pro me, qui plenus sum defectibus ». In sua humilitate existimabat se dicere verum, quamquam eo momento ab obiectiva veritate alienus erat.

Adimplebat exhortationem Apostoli: *Grati estote* (Col. 3,15). Etiam in lecto mortis inter atroces suos dolores non obliviscebatur iterum iterumque repetere: « Tibi gratias ago ». Propterea etiam vitam terrestrem finire voluit bis repetito cantico gratiarum actionis *Magnificat*. Quod in Litanis de S. Ioseph praedicatur, de P. Waelkens repeti potest: Erat obedientissimus, fidelissimus, speculum patientiae, amator paupertatis...

Unde hauriebat vires ad vitam adeo perfectam ducendam? Ex oratione et contemplatione. Ille « spiritus gratiae et precum » (cf. Zach. 12, 10), quem moribundus ostendit, ab eo acquisitus erat et adauctus diuturna exercitatione quadraginta annorum. Brevi ante obitum loquebatur de quodam libro Romani

Guardini, in Gallica versione inscripti *Initiation à la prière*, unde proculdubio adiutus fuerat in addiscenda arte orandi.

Haec sufficiant ad attentionem confratrum in hanc novam Instituti dilecti gemmam attrahendam. Multi Patrem Waelkens potius invocare volunt quam pro eo orare; siquidem et in vita et praesertim in morte quaedam sanctitudinis aura eum circumdabat. Quid Providentia de eo statuerit, nescimus. Saltem gaudere oportet, quod hic confrater, divinae gratiae fidelissime cooperans, tam praeclarum nobis reliquit exemplar virtutum, praesertim quod humili sua opera domestica, ex amore Iesu et Mariae, se totum sacrificavit pro bono dilectae Congregationis.

---